



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXIX. Gregorii Papae I. Ad Marinianvm Episcopvm Ravennae. De  
ordinando episcopo in Corneliensi ecclesia loco alterius lapsi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

ciat, atque ab his apud omnipotentem Dominum suis intercessionibus defendat.

## EPISTOLA XXXVIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD CYPRIANVM RECTOREM SICILIÆ.

De episcopo Locrensi ecclesiæ ordinando.

*Gregorius Cypriano rectori nostro per Siciliam.*

**H**ABITATORES Locrensis ciuitatis quemdam ad nos presbyterum adduxerunt, qui eis debuisset episcopus ordinari. Sed quia minime dignus inuentus est, nec diu sine proprio possunt consistere sacerdote, a nobis admoniti in scrinio promiserunt alium studiose se quarere, & ad nos consecrandum Deo adiuuante perducere. Et ideo ad dilectionem tuam latere præsentium veniente Marcianum presbyterum dioceseos Taurianensis ecclesiæ, qui nunc habitat in ecclesia quæ est in Massalargia constituta, diocesis Catanensis ecclesiæ, ad te facito modis omnibus euocari, atque eum studii tui sit de criminibus, quæ ad episcopatum accedere non permittunt, cum omni subtilitate requirere. Et si eorum se expertem esse responderit, cum præsentium portitore eum festina dirigere, vt facto in eum decreto ad nos veniat Deo adiuuante ordinandus. Si vero est aliquid quod ei possit obsistere, hunc qui ad dilectionem tuam venit cum omni cura & celeritate dimitte, vt, eo ad loca sua remeante, alter secundum ea quæ præmissa sunt requiratur. Data mense Augusti, indictione xv.

## EPISTOLA XXXIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD MARINIANVM EPISCOPVM RAVENNÆ.

De ordinando episcopo in Corneliensi ecclesia loco alterius lapsi.

*Gregorius Mariniano episcopo Rauennæ.*

**F**RATERNITATIS vestra epistola nuntiante comperimus, Corneliensis ecclesiæ filios assidua supplicatione in loco lapsi quondam episcopi sui consecrandum sibi a vobis



vobis poscere sacerdotem, atque vos quid de ea re fieri debeat dubitare, & nostrum euidenter expectare mandatum. Postquam ergo quemquam criminaliter abscedentem in locum de quo lapsus est nulla permittit ratio reuocari, & ultra tres menses ecclesiam vacare pontifice statuta sacrorum Canonum non permittunt, ne cadente pastore, dominicum gregem antiquus, quod absit, hostis insidiando dilaniet, fraternitas vestra deprecationi eorum consentire, & in loco lapsi debet episcopum ordinare. Nam dum non petentes eos etiam ante vestris ad hoc debueratis adhortationibus admonere, postulantes nulla vos oportet excusatione differre: quia ecclesia Dei diu viduata proprio episcopo remanere non debet.

Grat. dist.  
50. cap. 11.  
Anselm. lib.  
8. cap. 25.

EPISTOLA XL.  
GREGORII PAPÆ I.  
AD EVMDEM.

De submouendo clericorum dominio in monasteriis.

*Gregorius Mariniano episcopo Rauennæ.*

**D**V DVM ad nos multorum relatione peruenerat, monasteria in Rauennæ partibus constituta omnino clericorum vestrorum dominio prægrauari, ita ut occasione quasi regiminis ea, quod dici graue est, velut in proprietate possideant. Quibus non modicum condolentes, decessori vestro epistolas misimus, ut hoc emendare per omnia debuisset. Sed quoniam vitæ est termino citius occupatus, ne hoc onus monasteriis remaneret, fraternitati vestræ hæc eadem nos scripsisse recolimus. Et quia, ut comperimus, in huius rei hæctenus correctione cessatum est, hæc ad vos iterum præuidimus scripta dirigere. Hortamur ergo, ut omni mora omnique excusatione submota, ita monasteria ipsa ab huiusmodi studeatis grauamine releuare, quatenus nullam deinceps in eis clerici vel hi qui in sacro sunt ordine constituti, ob aliud habeant nisi orandi tantummodo causam accedendi licentiam, aut si forte ad peragenda sacra Missarum fuerint inuitati mysteria. Sed ne pro cuiuslibet monachi aut abbatis promotione aliquod onus monasteria fortasse sustineant, studendum vobis est, ut si quispiam abbatum aut monachorum

Ioan. diac.  
lib. 2. cap.  
54.

Grat. 8. qu.  
1. cap. 87.

Grat. 16. q.  
1. cap. Ne  
pro cuiuslibet.

*Concil. Tom. 13.*

D d d d